



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

19. An etiam in amentiam & furorem actis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

R. Id quod de perpetua consuetudine à catechismo dicitur, vel referendum esse ad solum sacramentum Pœnitentiæ, quia ratio in principio verborum posita non aliud probat, nam conscientia peccati mortalis non tollitur per Eucharistiam, sed per Pœnitentiam, vel certe intelligi potest de Eucharistia, vt absolute cibus est animæ, non vt viaticum, vel denique catechismus loqui de communi consuetudine ecclesiæ Romanæ aut Catholicæ maiori ex parte, non vero de omnibus eius prouinciis & regionibus: Ita (a) Zuares.

a tom. 4. in
s. D. Thom.
disput. 44.
sect. 1.

R. 2. Catechismus loqui de more, qui seruari solet in ordinaria ministracione sacramentorū, non autem loqui de casu nostro, quando non potest ministrari Eucharistia, potest vero Extrema Vnctio.

Q V Æ S T I O XIX.

An etiam in amentiam & furorem actis?

Quæstionis explicatio.

FOrsitan ex amentia & furore peste infectorum quispiam captabit occasionem excusandi se à ministracione huius sacramenti, præsertim q̄ hoc sacramentū non sit ita necessarium, & quia non potest huiusmodi

modi hominibus sine aliqua, vt apparet, irreuerentia ministrari: Horum occasione quaeritur, an iis ministrandum sit hoc sacramentum

Responsio.

Est ministrandum, si antequam in amentiam inciderint, piam erga hoc sacramentum mentem gesserint, nec amisisse sensum in complacencia peccati mortalis. Probat iure (a) Canonico, quia amentibus quacumque pietatis officia conferenda sunt: loquitur autem de amentibus, qui aliquando habuerunt iudicium rationis: Deinde Eucharistia requirit maiorem reuerentiam, & deuotionem, quam Extrema Unctio, sed huiusmodi amentia non impedit receptionem Eucharistiae, vt superiore capite ostendimus: ergo nec impedit receptionem Extremae Unctionis. Nec obstat Extrema Unctio non esse necessariam, quia satis est esse valde utile, vt bene ponderat Concil. (b) Trident. & aliquando posse esse necessarium ex defectu receptionis aliorum sacramentorum, & verae contritionis, vt per illam fiat quis de attrito contritus. Neque etiam obstat, quod vix possit ministrari sine aliqua indecentia, quia in articulo necessitatis, in quo semper versamur, toleratur aliqua minor dispositio & reuerentia, quae tamen non impediatur gratiam habitalem, quae non toleraretur extra necessitatem.

a c. Qui recedunt, 26. q. 6.

b sess. 14. de extrema de sacramento extremae Unctionis initio.

Ec 2 Quare

a in 4. d. 12. Quare bene notauit (a) Sotus non dari a-
quest. 1. ar. 9. mentibus sacramēta extra articulum mor-
§. Aliter ta tis propter illorum reuerentiam.
men.

Dices primo: Quid si amens resistit, nec velit admittere vngentem?

b Palud. in

4. dist. 23 q.

3. ar. 2. concl.

11 Anton. 2.

p. tit. 14. c. 16.

§. 6. prope fin.

de Grassis, 1.

p. decis. lib. 1.

c. 86. n. 28.

c. Sotus in 4.

dist. 15. art. 1.

col. 4. ante

finem.

d. c. final. de

presumptio-

nibus.

Respondent (b) Doctores, amentes & phreneticos, vel furiosos, si resistant, effeligandos, & fortiter tenendos, vt Extremam Vnctionem recipere possint.

Dices 2. Potestne constare, quando amens amiserit sensum in complacētia peccati mortalis?

R. Vix (c) posse constare, vt patet ex vsu ecclesiæ quæ fere omnibus fidelibus in articulo mortis dispensat sacramenta: vnusquisq; enim presumitur (d) bonus donec probetur oppositum, cuius in hoc casu est difficillima, vel impossibilis probatio.

QVÆSTIO XX.

An etiam non petentibus?

Quæstionis explicatio.

DIximus superioribus capitibus frequenter accidere, vt peste infecti variis de causis non petant sibi conferri sacramenta, quod tamen frequentius accidit in sacramento Extremæ Vnctionis, tum propter spem longioris vitæ, qua frequentissime decipiunt.